Constantinus
Huygens
Patri colendiss.mo
S.

Dulce caput, venerande Senex, pia cura tuorum,
O Pater, ô animi portio magna mei;
Accipe, sed nocturna, suos redolentia somnos
Scripta, (jubes testem prodere? lectus erit.)
Quae, sicut haud Patriam referentia carmina, nomen
Non potuere oculos non subiisse Tuos:
Nempe cui vitam genitus lucemque diurnam
Huic parili noctes debeo jure meas.

Colendissime Pater,

Quicquid huius te Carminis vel occasio vel argumentum lateat, paucis visum fuit ascribere. Est autem huiusmodi. Septem fere sunt menses ex quo missis Deventriam literis obnixe Verelium meum rogo ut mihi Treutleri Theses Juridicas, quas utilissimis olim ab ipso notis atque animadversionibus auctas memineram, in dies aliquot utendas concedere vellet: Quod cum ille non sine propriae commoditatis dispendio fieri posse, per fratrem qui hic Leydae commoratur, nunciandum curasset, Ego hic veluti aegre ferens quod ne Epistola quidem respondere dignatus fuerit, acceptâ simul occasione rumoris qui de amoribus ipsius (si Dijs placet) jam pridem spargitur, Musarum, uti soleo, suppetias imploratum ivi, Epithalamium videlicet facturus, nisi, quas precibus extorquere nequivi, exprobationibus impetrare literas valeo. Vale et Tu quoque Pater optime.

Leydae, vj.° Id: Decemb. CIↃIↃCXVI.

CH.

Monsieur

Monsieur Huygens Secretaire

etc.

A La Haye.

XLIII a

© Koninklijke Bibliotheek
KA 43a (1616), fol. 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/19